

A 1612
XXIII.

67

Deiecit sua. Sic ipse sua
Sancta tabernacula & intacta
Deturbauit Deus ira ardens,
Sabati non ille recordatus,
Festorum oblitusque dierum.
Solenibus haud lege sacratis
Ille sua temporibus, festis
Haud ille pepercit mandatis.
Perit vna cum Rege sacerdos,
Et probrum pontifices vestit
Indutos tunica ignominiae,
Irascente Deo nostro.

13614f

Q' i n etiam ille suum odio nosci
Altare euertit, destruxit,
Pessundedit. Omnes deleuit
Ritus sacrorum. haud
In spaciois ceditur atrys
Salomonae victima templi.
Nullus in aris verbo adoletur
Præcepti ipsius turis honor.
Iacet illa solo magnifica ædes,
Iacet in celum extructio tendens. 13614f
Ipsa intacta prius, inaccessa,
Claussa adytes, illa inconspecta
Diuina oculis arca profanis,
Propria arca Dei domus æterni,
Tunc fracta, adaperta, elisa fuit
Hosti eheu ludibrium rabido.
In sanctis penetralibus illi

E 2 Clas

P. David Spilenberger.

N. N.

PRÆCEPTA MORUM.

Institutioni Puerorum
accomodata, facilioris memo-
riæ causa, stylo juxta textum solu-
tum sonante, carminibus comprehensa

proponuntur

Ut autem intelligentius disci possint;
terius etiam è regione exhibetur, prout à Clarissimo
ac Doctissimo Viro, JOHANNE COMME-
NIO collectus est.

Opera
SAMUELIS ENYEDI, M.D.

Seneca;

Mores primùm disce, mox Sapien-
tiam: quæ sine moribus non benè di-
scitur.

Vulgatum:
Qui proficit in literis, & deficit in moribus,
plus deficit quam proficit.



LEUTSCHOVIA,

Typis SAMUELIS BREWER, Anno 1696.

Raij III. 37.

CAP. I.

DE MORIBUS IN GENERE.

1. EST fundamentum morum mens compositorum
Quam regit & numen studium reverensq; bo-
norum,
2. Sic ubi consistas adolescens, mente teneto.
Angelus est præsens, cernunt hominesq; Deus q;
3. Ergo Majestas tibi sit venerabilis horum.
His q; cave turpi culpa contrarius esse.
4. Fessa DEL metuas, animo sincerus & esto.
Sermo cum vultu sit cultus carnis honestus.
5. Nil affectatum placeat nullum quoque effectum:
Unica sit rectum simplex & regula vitae.

CAP. II.

DE VULTU TOTIUSQUE CORPO- RIS STATU & GESTU.

1. Conspicuum quoties hominis captabis honesti,
Erectum corpus sit. Sta pileoq; reiectus,
3. Vultus non tristis, torvus, variansq; protervus.
Temperet ast bilarem faciem facundia prudens.
4. Frons explanetur nec fiat plena rugarum.
Distortum lumen, pravum variumq; refixum,

No

CAP. I.

DE MORIBUS IN GENERE.

1. Morum fundamentum est Animus ita compo-
situs, ut Deo & hominibus bonis placere
volupe sibi ducat:
2. Ubi, ubi ergo es, Adolescens, in conspectu Dei
& Angelorum, forsan & hominū versari te memento.
3. Ac proinde admittere quidquam majestate Dei
Angelorumq; & hominum oculis indignum cave.
4. Animus purus tibi sit propter Deum & consci-
entiam: Vultus autem, & cultus, & sermo & omnia
externa, munda & honesta, propter Angelos & ho-
mines.
5. In omnibus verò istis nihil affectatum & fue-
tum placeat: Simplex & Rectum omnium actionum
Regula tibi sit unica.

CAP. II.

DE VULTU TOTIUSQUE CORPORIS STATU & GESTU.

- Quoties in conspectu cuiuspiā honesties, ita te geres:
1. Compone te in rectum corporis statum,
2. Caput sit aper-tum.
3. Vultus nec tristis aut torvus, nec rursum pro-
tervus ut instabilis: sed hilari modestiā temperatur.
4. Frons explanata, non rugas contracta.
5. Oculi non vagi, non limi, non distorti non pro-
caciter huc illuc jactati, aut rursum nescio quod de-

A 2

fixi

P R A E C E P T A

- Ne sit, cui loqueris fias intentus in illum.
6. Mundæ sint nares à muco. 7. Flatibus actæ.
Esse sinunt buccæ, positum servanto decentem.
8 Non hietyos, vastum ne sit, labiisq; retortum.
Non fortis, sed sit labiorum clausula lenis,
9. Ultraque pre caveant mutuò se rodere labra:
Exertam teneas ne lingvam ceu canis unquam.
10. Erige cervicem, non flectas in latus unum.
11. Aequalis humeri sint nec dimissior alter.
12. Ne manibus gestes, nec iis turbato capillos;
Aures ne fodias, vellas ne Casariem vē:
Aut agites quicquā quod prudens dicit ineptum.
13. Erectus stabis pedibus consiste duobus,
Non uno sicut stat fixa Ciconia cruci,
Factis nec pedibus, moderate jungito crura.
14. Esto sedendo probus dorsum parcat parieti,
Per cubitusq; tuos præsens nec mensa præmatur.
Nec flectas humeros, resupinās membra tenendo,
Infra pendentes agitet ne motio suras.

CAP. III.

GESTUS CIRCA NATURALES ACTIONES.

1. Esto verecundus quid agis tu semper in actis.
2. Si rides, risus modicus sit nonq; cachinus:
Cunctis stulticie est dictis, applaudere factis;
Arridere autem stupididementia nullis:
Tu medium teneas, medium tenuere heati,
3. Expue conflatum buccis & in ore salivam.
Aversus faciem, ne incautus conspuer quenquam,
Phlegmatici indicū certū est sputare frequenter.
Bestia consuevit madidam sorbere salivam.

4. Mu-

M O R U M.

- xi: sed verecundi, semper in illum cum quo loquens modestè intenti.
6. Nares mundæ muco liberæ.
7. Buccæ non inflatæ sed naturalem servantes situm
8. Os non hians, neque diductum, aut intortum,
vel rursum fortiter compressum, sed leniter se contingentibus labiis clausum.
9. Labra non se invicem mordeant: multo minus
Lingva exesat & ostentet.
10. Cervix erecta sit, non in latus unum deflexa.
11. Humeri æqualiter elevati, non altera altero
dimissior.
12. Manus non sint gesticulosæ: hoc est, neq; iis
scabito caput, neq; fodilo aures aut nares, neq; tor-
queto cōmam, aut simile quid ineptum agito.
13. Si fias, sta eretus, insistens pedi utriusque, non
alterutri, Ciconiæ instar: neque pedibus divaricatis,
sed moderate juncis.
14. Dum sedes, modestè: non dorso parietem
fulciens, neque cubitis mensam premens: neque in al-
teram partem te supinans, aut pedes infra te agitans.

III.

GESTUS CIRCA NATURALES ACTIONES.

1. Quicquid agis verecundè age.
2. Si rides, risus sit non cachinatio: sed risus mo-
destus, (omnibus dictis & factis arridere, stultorum
est: nullis stupidorum. Auream ubique hic etiam
serva mediocritatem:)
3. Si saliva orinolesta est, expue: sed adversus, ut
ne quem conspuas, (sputare sepè, viciolum, resorbere
salivam, bestiale.)

A 3

4. Si

P R A E C E P T A

4. Mucum si feriat nares emunge gravantem:
Non manicā pileo, digitis & linte a servet:
Aversus facias palmas ne commaculato:
In terram macum projectum protere plantis:
Sordibus ejus ne moveatur nausea cūiquam
5. Ori si flatus, si sternutatio, tussis
Obvenit, avertas te, aut palmam ponito ad ora,
Atq; dabis sonium nuccas moderando moestum.
6. Præcaveat crepitum vel bombos edere venter.
7. Urinam mittas, aut alvum, non nisi solvas
Solo in secessu, cunctis hoc dictat honestas.
8. Ursus cum sonitu spirat; sed non vir honestus.

CAP. IV.

DE CULTU ET VESTITU.

1. Prolixam nutritre comam, quâ frons q; tegatur
Aut humeris volvet, benè scimus Apostolis arces
2. Qualis qualis erit, munda esto, pexa q; semper,
Quisquiliis, furfur, lentes ne fert capillis,
3. Calceus & vestis, pileus sint cingula munda,
Sordida ne fiant aut sicco pulvere testa.
4. Semi vestitum morionem, semiq; cinctum,
Addebet incedere, & non sic morum studiosum,
Pallia vel penulas humerum portare per unum.

CAP. V.

DE INCESSU.

1. Publica ne cernas hominum consortia, nisi sis
Ablutus pexus, sic vestitus q; decenter,
2. In plateis hominum cum te conspectus habebit.

Ne

M O R U M.

4. Si mucus nares gravat, emunge illum: at non
manicā vel pileō, sed strophiolō, aut digitis duobus,
(adversusitidem) ne manum commacules: ejectamq;
pituitam protere pede, ne cui nausea creetur.
5. Si obvenit oscitatio, vel sternutatio, vel tussis,
aut te similiter averte, aut obduc ori manum, soni-
tumq; moderare.
6. Crepitum edere ventris turpē est, cave.
7. Levare vesicam, vel alvum, nisi in secessu, fuge,
cui cui honestas cordi est.
8. Spirare etiam cum sonitu, ursinum potius est,
quam humanum.

IV.

DE CULTU ET VESTITU.

1. Comam nutritre prolixam, quâ frontem tegat,
aut involvet humeris, Apostolus vetat.
2. Qualis qualis tamen est: pexa sit & munda, à
quisquiliis furfuribus lendibusque & pediculis, li-
bera.
3. Pileus, Vestis, Calceamenta, Cingula munda
sint non sordidata luto aut pulvete; ne dum re alia
turpiore.
4. Semiindutum semiq; cinctum incedere, morio-
nem potius decet quam studiosum; sicut & togam
vel pallium ab altero tantum humero pendentem
gestare.

V.

DE INCESSU.

1. In publicum ne prodeas, nisi totus, pexus, de-
center vestitus.
2. In plateis, & ubi cunq; in hominum conspectu
mod-

A 4

P R A E C E P T A

- Ne quis te culpet, gestu potiare modesto.
3. Compositus gressus, non tardus, nec celer adsit,
Tardus pigritiae, præceps levitatis alumnus,
4. Incedendo pedes moveas æqualiter, & non
Illiis subsultes, vario ne brachia jaetis;
Nonq; latus quantias retrospectando subinde.

C A P . VI. I N S E R M O N E .

1. Discendi causa vel fiat sermo docendi,
Tu sileas, aliter, ne nugis lingua suscitat.
2. Dirige cum loqueris mentis dictaminis linguam,
Nam secus hærebis, sonitumq; dabis sine mente.
3. Articulatus sit sermo distinctus & aptus,
Auditor poterit demum cognoscere recte.
4. Esto vox mollis, nec non sedata loquentis,
Non fragor obtundens fiat, nec mussaret unquam.
5. Dum loqueris lingua loquitur, non utere gestu.
Aut nutu capitis, digitu, vel corporis ullo.
6. Si quid scire velis, aut ad quæsita reponis,
Responde breviter, clare profer q; modestè,
7. Immoderati animi est interpellare loquentem,
in finem fuerit deductus sermo priusquam.
8. Dicere si spurcum cogant, præfator honorem,
(Cum venia vestrae prot tempore sit modus aur.)
Aut fac circuitum, quantum fas profer honeste.

C A P .

M O R U M .

modestè te gere: ut ne quisquam quod culpet inveniat.

3. Incessus sit compositus: nec tardus, quod pigritiam arguat; nec celer nimis ac præceps quod levitatem ostentat.

4. Incedes autem pedes a qualiter movendo: non subsultando, non brachia jaetando, non latera quassando; nec respectando subinde retrò vel ad latera.

VI.

I N S E R M O N E :

1. Sermo discendi aut docendi causa instituatur: alias præstat.

2. Cum loquendum est, mens præcedat lingvam non contra: ne hæsitare, aut aliquid insulse dictum revocare nec sse habeas.

3. Pronunciatio sermonis distincta sit, & benè articulata, ut recte intelligatur.

4. Et vox loquentis mollis & sedata: non clamorosa aures obtundens; aut mussitata, ad aures vix pertingens.

5. Dum loqueris lingvâ loquere, non capite, aut manu, aut corpore toto: hoc est nutu aut gestu.

6. Si quid interrogas, aut ad interrogata respondes, clare, breviter, modestè profer.

7. Loquentem interpellare, antequam sermonem absolverit, vehementer incivile est.

8. Spurcum quid si nec sseario dicendum est, aut præfabberis honorem (cum venia sit honor auribus, &c) aut uteris circuitione: ut res minus honesta non nisi honeste velata ad aures & animum veniat.

A 5

VII.

P RÆCEPTA

C A P . VII.

M O R E S M A T U T I N I .

1. *Est deditus studiis, somnus ne comprimat illum :
Horas det septem somno, tandem vigilabit ;
Præsertim auroram Musis veneretur amicam.*
2. *Cum primùm evigilas animo require Tonantem,
Quod te per noctis tenebras defenderit, adfer
Grates, ac ora fautor velit esse diei.*
3. *Egressus lecto disjectos pelle capillos.
Cum manib⁹ vultum tu lymphis ablue mundis
Proruito & fauces, uestes compone decenter.*
4. *Verteris in cujus conspectum dicta, fælix
Ipsa dies fiat, sic fausta precator amicis.*
5. *Illi finitis te ad libros verte legendos,
Quæ peragenda diei sint lustra sedulus isto.*
6. *Quicquid agendum sit tu sius serius actor.
Disponas prudens, procedant ordine cuncta,
Numinis auxilium prece votis affore poscas.*

C A P . VIII.

M O R E S I N S C H O L A .

1. *Ad ludum properes studiorum, neglige nunquam.*
2. *Tunc tua portabis tecum arma scholastica (li-
bros.)*
Turpe enim est chartas calamos aliunderogare)
3. *Inq̄ tuam sedem venias & non alienam,*
4. *Garritu aut strepitu reliquos turbare caveto,
Omnia fac placide dum vult intrare Magister.*
5. *Suf-*

M O R U M .

VII.

M O R E S M A T U T I N I .

1. *Deditus literis somnolentus non erit: septem
horis somno datis ad vigiliam festinabit. (aurora
Musis amica.)*
2. *Quum primùm evigilaveris, Deum cogita,
quod per noctis tenebras custodierit, gratias age, &
ut tibi sequentem diem faciat faustum, ora.*
3. *Lepto egressus capillitum come, manus & vul-
turn aquâ mundâ ablue, os prolue, uestes decenter
indue.*
4. *Quibusunque in conspectum venis, felicem
diem apprecare.*
5. *Praetisq; salutationibus ad libros transi, & die
illo agenda, lustra.*
6. *Quicquid agendum fore vides, seriō agere pro-
pone: atque ut omnia procedant ordine, omnia
prudenter dispone, adhuc dum in auxilium advocans
Deum.*

VIII.

M O R E S I N S C H O L A .

1. *Ad Scholam ut ad ludum festina, nunquam
emanē.*
2. *Arma tua scholastica, eā die & horā necessaria,
tecum porta.*
*(Turpe enim Scholarem libros, chartas, cala-
nos, atramentum, & liunde mutuari.)*
3. *Locum tuam, non alienum, illiçō occupa.*
4. *Garritu. vel strepitu, molestus aliis ne esto: mo-
destè omnia tua, dum Magister ingrediatur, age.*
5. *Sapi-*

P R A E C E P T A

5. *Suspiriis tacitis, est qui sapientia Christum
Ores, ut praefit copiosè spiritus ejus:
Cujus opem citra nostra est solertia frustra.*
6. *Donapentibus ille tamen quia scit dare cunctis,
Qui pulsant, aperit, querenti subvenit ipse.
Disce velut tibi subsidii nihil ille referret;
Nigraviter pergas studii tractare labores.*
7. *Doctus Praeceptor si sit, doctus ḡz libellus,
Te stupidum pudent vacuum gestare cerebrum,
(Quicquid Praeceptor scit, neverunt ḡz libelli,
Illa scias, operam solers dato tu quoque cunctis)*
8. *Subsidium mentis tecum liber esto notarum,
In quem describas id, quod non ante sciebas;
Quem si non habeas, aut curam negligis ejus:
Index discipuli cunctis fit certus inertis.*
9. *Hora, dies vanus fuerat, quo n̄l didicisti.*
10. *Dimissus proprias ludo properabis ad aedes.
Ne cursu plateas reple, nec statu frequenter.*
11. *Obsequii quid te cupiunt praestare parentes.
Aut herus absolvias animo tractanda fidelis;
Expedias promptè rem, si quò missus abibit.*
12. *Praeter servitium, restans tempus dato musis.*

CAP. IX.

E R G A P R A E C E P T O R E M .

1. *Praeceptoris amore velut teneare parentis,
Cujus in aspectu semper versare libenter:*

2. Obſe

M O R U M .

5. *Sapientiam æternam Christum, ut tibi Spiritum
suum largiatur, tacitis suspiriis invoca: quippe citra
cujus opem frustra esset omnis diligentia nostra.*

6. *Quia tamen ille petentibus dat; pulsantib⁹ aperit,
querentibusq; quod inveniant, offert; sic stude tan-
quam ille nihil auxiliū latu⁹ sit, nisi graviter laboranti.*

7. *Eruhesce Praeceptorem habere eruditum, librōs.
que eruditos, ipse ineruditus.*

*(Quicquid ergo scit Praeceptor, & sciunt libelli
tui, ut scias tu quoque allabora)*

8. *Memoriæ subsidium Diaria sunt, in quæ quic-
quid (ignotum antè) addiscitur, consignatur, Diarium
ergo non habere, aut negligenter curare, inertis di-
scipuli nota est certissima, animadversione digna.*

9. *Inter infelices diem illum reputa (imò horam)
quā nihil novum addidicisti, Eruditionemq; tuā nihil
adjecisti.*

10. *Scholâ dimissus domum propria: per plateas
ne discursa, ne restita, ne indebita age.*

11. *Domi quicquid obsequii præstandum est pa-
rentibus aut heris alacriter obi: aliò autem amanda-
tus, fideliter negotium expedi, ocyusq; redi: ut lite-
ris cultum ad omnia esse idoneum appareat.*

12. *Quicquid præter servitia restabit temporis,
studiorum repetitioni tribue.*

*(Nihil in vita pretiosius tempore. Tempus qui per-
dit, vitam perdit.)*

IX.

E R G A P R A E C E P T O R E M .

1. *Praeceptorem ut patrem ama: nec ullibi ver-
seris lubentius, quam in ejus conspectu.*

2. Pra-

PRÆCEPTA

2. Obsequium præsta verbo factog̃ docent̃,
Et formatori mentis reverentia detur.
3. Exemplar vivum Præceptor sit tibi morum
Notiæg̃, sequi studeas in omnibus illum,
4. Ausculta quoties loquuntur monstrat quotiesg̃,
Attendas; mutuſi vers imitare regentem;
Emendat quoties, defectus corrigere cunctos.
5. Offensus nunquam Præceptor tristis item sit
Per te præcaueas si quidem turbare Magistrum
Atque parentes, est Esau committere crimen,
Chamiticum scelus est lusu ridere parentes,
6. Omnia prævenias, ob quæ tibi pœna daretur.
7. Si tamen ob culpam monitus vel verbere plexus
Tu fueris, præfer, moveas nec murmure rixas.
Laudē bona gaude, laudem pergasq̃ mereri.

CAP. X.

ERGA CONDISCIPULOS.

1. Discendi socios habeas pro fratribus omnes.
2. Vt uito cumq̃ tuis concorditer omnibus illis.
3. De studiis tibi sit certamen, non secus unquam,
Nec cui fac rixas, sed prudens æmulus esto:
4. Doctior ex sociis & honestior esto sodalis,
Atque frequens ejus sit conversatio tecum.
5. Quem superare velis, ienta certamen in illum:
6. Sapientia & cura victor non vicitus abire.

7. Iram

M O R U M.

2. Præceptori omnem reverentiam & obsequium
verbo & opere exhibe.
3. Præceptorem seu vivum exemplar (Eruditio-
nis, Morum Pietatis) intuere, exprimereq; in omni-
bus stude.
4. Quoties Præceptor loquitur, ausculta; quo-
ties præmonstrat, attende; quoties manu aut ore
præit, imitare; quoties emendat corrigere.
5. Præceptorem ne unquam offendas, aut con-
tristes, cave. [Immorigerum esse Magistro & Paren-
tius, Esaviticum quid est: ludibria insuper exhibe
Chamiticum flagium, maledictione Dei pu-
nendum.]
6. Prævenire omnia, ob quæ vapulare possis stude.
Increpatuſ tamen ob admissam culpam, vel ca-
stitus, perfer, ne murmura: Laudatus autem ob
vitam, gaude, laudemq; mereri perge.

X.

ERGA CONDISCIPULOS.

Omnis studiorum socios pro amicis & fratri-
tibus.

1. Cum omnibus concorditer vive.
2. Certamen cum nemine, nisi de literis habe-
re h̃ic tamen rixas aut odia exercendo, sed dili-
gēnūlāndo.
3. Doctiores & modestiores Condiscipulos ma-
illisque libentiū conservare.
4. Tamen diligentia laude superaveris, cum sapie-
ñ provoca.
5. Si provocato ne succumbas, sed prævaleas, sum-
esto.

7. Vi

P R A E C E P T A

7. Iram ne faciat cuiquam victoria victo,
Accipiat stimulum vincendi victus at inde.
8. Vincere sic vinci, virtutis cos erit almæ
9. Si quis nec sic vult laudem affectare studendo,
Ut pecus ignavum cunctis contemnitor ille.

C A P . XI.

D E C O N V E R S A T I O N E C U M Q U I B U S V I S .

1. Illis cum tua fac sit conversatio tantum,
Doctior & melior quorum sapientiamos, ut
Reddaris melior, reliquos aut fac meliores.
2. Colloquium fugias pravum consortia prava
Ut pestem, placidos juvenum fœdantia mores,
3. Inter mortales cum sis tibi vita trahenda:
Prudenter circumspice semper, scandala ne das.
Aut cupias. Ad quæ sapientum dicta tenebris:
4. Dilige quosq; bonos pravum nullumq; lacesse.
5. Ne tua jaētes, despice vel carpas aliena.
6. Officiis certes, iram rixasq; careto.
7. Nulli morosus, sed sis affabilis omni
8. Des aliis potius, poteris si quam pete quicquam.
9. Laudari cupias minimè laudanda procures.
10. Obvius est si quis faustam illi optato salutem,
Si vir præcellens sit, coram aperi caput illo;
Cede viam genibus flexis ac exhibe bonorem.
11. Ipse salutatus fueris quando, resaluta.

12. Sif

M O R U M .

7. Victus tamen non iram concipiatur in victorem,
sed stimulum; ad illum denuō vincendum.
8. Ita & vincere & vinci pulchrum erit, dum
utrumq; virtutis & diligentiae cos erit.
9. Si verò quis ne hac quidem ratione ad laudis
æmulationem concitari se patitur, canquam ignavum
pecus ridetur, & contemnitor.

X I .

I N C O N V E R S A T I O N E C U M Q U I B U S V I S .

1. Conversatio tua cum illis tantum sit, qui te do-
tiorem aut meliorem reddere possunt, vel tu illos.
2. Sodalitia dissoluta ut venenum fuge:
Corrumpt bonos mores colloquia prava.
3. In turba tamen hominum quia vivendum est,
prudenter circumspeta, ne quid scandalides, aut
conciplias. De quo sapientum quædam accipe mo-
nita.
4. Bonos omnes ama. Malum nullum lacesse.
5. Tua ne jaēta: aliena ne carpe, aut despice.
6. Cum bonis, officiis certa: irā & rixā cum ne-
mine contendere.
7. Omnibus te affabilem præbe: morosum ne-
mini.
8. Beneficium libentiū da, si potes, quām accipe.
9. Laudari ne affecta: laudanda fac sedulō.
10. Obvios si habueris, saluta: coram personis
honoratis etiam caput aperi, de via cede, popliti-
busq; flexis honorem exhibe.
11. Salutatus ipse ab aliis, resaluta.

B

2. Cum

P R A E C E P T A

12. Sistere cum quovis aut fixe quemq; tueri
Ignoru, non est civilis credito moris:
Est verò stupidum non quemquam attendere
prositus,
13. Magnorum s̄vescas conspectum erre virorem,
Nam pudor est nimius stolidorum rustica proles
14. Alloqueris quoties aliquem, sis cautus & illum
Quis titulus decent, quo status vivat in orbe
Observes, Doctor vel sit Pastor Reverendus;
Aut Dominus, Frater, nec non per gratias
amicus.
15. Juramenta cave, sermo sit; non ita quivis.
16. Nullum peccatum cela, potiusq; fatere,
Delet altisoni maculam clementia cordis.

C A P . XII.

I N T E M P L O .

1. Cœtibus à sacris cui cordi est nemo sit absens
Gloria sancta Dei, vita mansura salusq;.
2. Et liber ad cautum, Codex & Biblicus adsit.
3. Omnes in Templum procedant ordine junctim.
4. Cum grege quisq; suo capiat sedilia templi.
5. Inq; loco proprio coram prosternitor alto,
Commendans animam Domino, qui cuncti po-
tens est.
6. Altisono coram cum sit præsentia tota
In Templo: caveas ne verbis sedulus erres,
Aut nutu gestu, tua ne sit mens quoq; peccans.
7. Conventu laudes ne in cantate silebis;
Ipse tuum cor & os ad laudes organon apta.

8. No-

M O R U M .

12. Cum quovis consistere, aut quemvis ignotum
fixè intueri, incivile est: nihil verò quenquam atten-
dere, stupidum.

13. Conspectum ferre virorum honestorum con-
suesce: pudor nimius rusticus est.

14. Quoties cum honoratiore loqueris, titulum ho-
noris subinde repeate. (Si cum ignoto loqui contingit
cujus te fugiunt tituli) liberale erit quemvis Eruditum
nominare Præceptorem observandum: Ecclesiæ Pa-
storem, Patrem Reverendum: Politicum Dominum
Æqualem quemcunq; Amicum & Fratrem.

15. Jurare cave: sermo tuus sit: Ita & Non.

16. Nullum peccatum admisum nega, sed confitere.

XII.

I N T E M P L O .

1. A sacris cœtibus nemo se absentet, cui gloria
Dei salusq; propria cordi est.

2. Suum quisq; hymnorum Dei librum, Biblicumq;;
Codicem (si cui est) secum ferat.

3. Et procedant omnes junctim, ordine decoro,
è Scola usque in Templum.

4. Ubi quisque cum grege suo (æquè ut in Schola)
consideat non alibi.

5. Locumq; ut attigerit suum, prostatu coram
Deo, commendet eidem animam suam.

6. Toto præsentiae suæ in Templo tempore versetur
ut in conspectu Dei: cavens sedulò, ut neverbis, gestu
nutu, cogitatione aliquid admittatur indignum Deo.

8. Ecclesiâ laudet Dei concinente, non tacebis
novellus Christianus: Os & Cor suum ipse quoq; ne
formans in organon laudis Dei.

B 2

8. Be.

P R A E C E P T A

8. Nomine divino benedictio dicta Ministro,
Corde fideq; simul capiatur religiosè.
9. Suspirium precibus proprium communibus addet
Composito gestu fint devotio nostræ.
10. Verba Dei píleo nudatus quando leguntur
Stabit non aliter, cum sit vox ipsa Tonantis.
11. Dum locus ex sacris à proponente refertur,
Percepit si non quærat mox codice verso,
Inventum discat, solerter deinde notabit.
12. Excipient calamo, qui pollent dicta ministri:
Pellitur hanc methodo somnus distractio mentis;
Illi thesaurus dabitur mansurus in ævum
13. Ex sacris recitet didicit quid quisq; reversus
Ad ludum, ratiocnic constet temporis acti.
14. In Templo si quis somno vinoq; sepultus
Inventus fuerit; vel quod non pertinet illuc
Egeris, id paenâ memoris sit culpa piandum.

C A P . XIII.

A D M E N S A M .

1. Accedas mensa tanquam vir sanctus ad aram.
2. Post ac ante cibum precibus benedictio celsa
Implorata fluit, veniat cùm desuper omnis.
3. Exposcat si te, pro tempore Mensa Ministrum,
Officium te præsta, in quevis oculatum.
4. Cum senibus junior sedem si ferre juberis,
Moribus adversum ne quid fac perspicie cuncta.
5. Ingeniis dicenda viris hæc rustica sunt:

a Accum.

M O R U M .

8. Benedictionem nomine Dei à Ministro verbide-nunciatam audiet religiosè & applicabit sibi fiducialiter.
9. Precibus publicis sua semper adjunget suspiria, gestu ad devotionem composto.
10. Verbum Dei, cùm prælegitur, nunquam aliter quam stando, capiteq; nudato, audiet.
11. Dumq; inter illustrandum verba Dei verbis Dei locum Scripturæ alligari audiet sibi prius, non animadversum, eum in suo Codice mox inquiret, & notabit.
12. Qui pollent manu [à discipulis secundæ Clasis factò initio] excipient saeras Contiones calamo: somnum hanc ratione, & cogitationes vagas, pellen-do, thesaurumq; sibi optimum sapientiæ divinæ, & in res omnes attentionis pulchræ, thesaurizando.
13. In Scholam reversi, omnes quid ex sacris profecerint, Magistro rationem reddunto.
14. Ubi si deprehensum fuerit, dormisse aliquem in Templo, aut garriisse, vel impertinentia egisse, piaculum sit extrema confusione piandum.

XIII.

A D M E N S A M .

1. Ad mensam tanquam ad aram, piè ac honestè.
2. Preces ante & post cibum nunquam intermit-tuntur: Benedictio enim pluit desuper.
3. Si tibi ad mensam ministrandum est, officium te, & ad omnia oculatum, exhibe.
4. Si tu junior assidere Mensæ cum senioribus ju-beris, circumspecte age omnia, ne quid bonis mori-bus adversum committas.
5. Rusticum enim est,

B3

a Non

P R A E C E P T A

- a Accumbens mensæ non invitatus, (b) & altam.
- b Si capias sedem, (c) manibus si mensa prematur.
- d Brachia jactentur substratis pendula mensis.
- e Cum dapi bus panem manibus si triveris, aut si
Dentibus exertis epulas arroseris omnes.
- f Præripas aliis præceps meliora vores &
- g Cochlear ut plaustrum si pulles ingerit ori.
- h Sic nimios & bolos patulis intrudere buccis.
- i Turcicus ut mos fert digitos prætingere primum,
- k Ossa & si radas ad mensam more canino.
- l Rasavè quando aliis abs te, proponis edenda;
- m Aut cibis eximitur buccis imponitur orbi.
- n Si garris, scalpis putidum caput inter edendum.
- o Mandere cum loqueris sitendas tunc simul erras.
- p Ore tenens offam si potas rusticus esto.
- q Distractis labiis haustus sorbere boantes,
- r Ungvibus & cultro dentes fodicare caveo.
- 6. Viribus ut validum juvenem sit corpus edendum,
Ingluviem replent lurcones & comedones.
- 7. Ore bibas terso contentus sis tribus haustis;
Evacuare scyphos Hunnorum define more.
- 8. Et puer ad mensam faciat nisi verba rogatus.
- 9. Non prolonganda est ad cœna sessio finem
A puero, sumto quantum satis est alimento
Surgat, sed tollat quadram, fœlicia poscens.
Convivis, abeat post hæc, aut stando ministret.

C A P . X I V .

A P R A N D I O .

u. Ablue

M O R U M .

- a Non invitatum accumbere,
- b Loci prioritatem captare,
- c Brachiis mensæ inniti,
- d Aut rursus manum habere sub mensa,
- e Et panem dapes & cæteras manibus frangere,
aut dentibus arrodere.
- f Et lautiora præripere aliis,
- g Et cochleari ut plaustro imponere;
- h Aut nimios bolos ingerere ori,
- i Et prætingere digitos:
- k Et radere ossa dentibus:
- l Errabis te semetipsum præponere alis (dram:
- m Aut cibum eximere ori & reponere in qua-
- n Et inter edendum caput scalpare, garrisire, ri-
- dere, & similia.
- o Et simul mandere & loqui:
- p Et potare, cibum habens in ore:
- q Et bibere ore pleno, vel cum sonitu:
- r Et fodicare dentes, ungvibus aut cultro.
- 6. Adolescenti edendum est ad refectionem, non
ad ingluviem.
- 7. Et bibendum ore abstergo. & modicè: non ul-
tra duos aut ad summum tres, moderatos haustus.
- 8. Puer ad mensam nihil loquatur, nisi rogatus.
- 9. Neque sedeat (præsertim si hospites adsint)
usque ad prandii finem: sed sumto quantum satis
cibo, surgat: sublataq; suâ quadrâ & salutatis accum-
bentibus, discedat: aut stando ministret.

X I V .

A P R A N D I O .

B 4

u. Ma

12

PRÆCEPTA

1. Ablue sapè manus, laves post prandia semper Os, dentes, refrica; sanus sic purus & esto.
2. Abstineas libris, celebrum ne coctio turbet, Et vapor ingesti pareat morbos alimenti.
3. Ingenii postem fugias post prandia somnum, Colloqiis lepidis recrea te, vel spatiare, Aut ludo pulchro fiat concoctio donec.

CAP. XV.

DE LUDO ET RECREATIONE.

1. Ad ludum propria laxatio quando laboris Contingit, corpus renovabit motio, mensq; Clarior evadet; lusus sunt & pila conus, Cursus, ac saltus, globus, hi sed moderati: Nec citra veniam præceptoris quoque ludant.
2. Est lusus pictas per cartas, alea, luctus Turpis & stuviis caveat sibi quisque natare.
3. Conciliat gratum ludentibus ordo decorum, Promtior & mens fit per lusum, corpus alacre: Ingenuè ludas, virtus non fraus tibi vincat.
4. Segities, fastus, clamor meditatio grandis Atque dolus, lusum quemvis reddunt in honestum.
5. Sponsio ne numinis sit, libris, quæ dare damnum Possunt, sed vicitus victoris jussa sequatur; Historiam recitet, gnomam, vel carmina fingat Aut aliquid risus plerum præstare tenetor;
6. Inter ludendum versetur sermo Latinus, Utilitas duplex, animi vegetatio nempe, & Corporis exurget; studii profectus habetur.

7. Lu-

M O R U M.

1. Manus ablue, os prolue, dentes defrica, ut sis purus.
2. Libris abstine: ut ne spiritus concoctionis officium peragentes evocentur ad superiora-
3. Sed & somnum meridianum, ingenii pestem, fugito: deambulatione, colloquiis honestis, aut ludo aliquo te recreans, donec concoctio peracta sit.

CAP. XV.

IN LUDO ET RECREATIONE

1. Quando à laboribus conceditur relaxatio, Ludo te recrea, qui Corpori motionem & Animo vegetationem adferat: quales sunt *Trocus*, *Globuli*, *Globus*, & *Coni*, *Pila*, *Cursus*, *Saltus*. Omnia tamen moderate nec citra Præceptoris præsentiam aut veniam.
2. Ludi prohibiti sunt, *Alea* seu *Tessera*, *Charchæ*, *pictæ*, *Lucta*, *Pugilatus*, *Natare in aquis*: similia, vana aut periculosa.
3. Decorant ludum, Corporis alacritas, Animæ lætitia, Ordo, Ingenuè ac legitimè ludere, Virtute non fraude vincere.
4. De honestant ludum, Pigritia, Melancholia, Insolentia & Clamor, Dolusq; malas.
5. Sponsio fiat non in nummos, aut libros, vel graphia, & alia damnum inferentia, sed ut vicitus faciat imperata Victoris: seu gnomam aliquam aut historiam recitando, seu versum fabricando, seu aliquid ridiculum sibi injunctum præstanto.

6. Colloquia inter ludendum Latina sint, ut Lusus binam habeat utilitatem: Vegetationem nempe Corporis & Animæ, & profectum in Literis.

B 5

7. Dum


P R A E C E P T A

7. *Ludere cessabit, si ad ludum tempus eundi est.*

XVI.

M O R E S V E S P E R T I N I .

1. *Cœna finitâ stabis, vel mille meabis,
Passus cantato laudes, aut aëta diei
Continuò repetas seu verbis blanda profare.*
2. *Finitis precibus dulcem conquire quietem,
Prospera sit noctis, tunc dicas aura propinquis.*
3. *In lecto repeate flando vel poplite flexo,
Iste dies tibi quæ dederit bona, feceris aut quid*
4. *Si quid peccatum fuerit supplex prece Christum
Inquiras, de te sperabis tum meliora.*
5. *Si nihil admissi te culpet, gratia Jésu
Sit, qui clementer vitio defendit ab omnibz.*
6. *Illi commendes imò de pectore temet,
Insidias omnes pellat turbantia sicut
Somnia, protector præsto sit noctis in umbra.*
7. *Ingressus lectum noli pronusq; supinus
Cumbere sed primum lateri procumbito dextro:
Post medianam noctem partes inverte sinistras,*
8. *Ad somnum plures tecum si convenient post
Vota quieta dato noctis, non amplius ullum
Sermone aut strepitu turba sint cuncta quiete,*
9. *Ante sopor placidus quam totos occupet artus.
Præcipuum si quid mens observaverit illud
Perpendas, sic det præstans meditatio somnum.
Mane q; surgentem comitetur sanior aura.*



M O R U M .

7. *Dum tempus Scholæ instat, redeundum est à lu-
su ad ludum.*

XVI.

M O R E S V E S P E R T I N I .

1. *Cœnâ finitâ nihil novum inchoa, inambula,
canta, Deum lauda, aëta diei repeate.*
2. *A precibus vespertinis nusquam evagator, ad
quietem te conferto: Parentibus & familiæ prospe-
ram noctem precatus.*
3. *In cubiculum delatus. (& ad lectum stans, aut
genibus aëctis) quomodo tibi peracta sit dies, tecum
reputa.*
4. *Atque si quid à te peccatum animadvertis,
Christum deprecare, melioraq; de te pollicere.*
5. *Si nihil adeò, age gratias misericordiæ illius,
qui te præservavit à vitio.*
6. *Tam te illi commenda toto pectore, ut te ab
insidiis mali spiritus & terriculamentis nocturnis,
obscenisq; sonniis, protegat.*
7. *Lectum ingressus, neque pronus cubueris neq;
supinus: sed primum lateri dextro innitens, à media
verò nocte sinistro, valetudinis causa*
8. *Si plures in eodem cubiculo ad dormiendum
conveniunt, post data & accepta quiete noctis vota,
neminem amplius (sermone aut strepitu) turbaveris;
quieta sint omnia*
9. *Antequam tamen indormias, exquisitam ali-
quam sententiam, die istâ observatam, ruminata: ut
bonis meditationibus indormias, & cum iisdem evi-
giles. Luc. 10. v. 28. Hoc fac, & vives.*



AD PUERUM PHILOMUSUM, DE LEGIBUS SCHOLASTICIS.

Quæ parvis contenta damus præcepta tabellis.
Sæpius attento fac puer ore legas.
Et lectas memori servato pectori leges.
Sic venient studiis comoda multa tuis.
In quibus ille parvum mihi profecisse videtur,
Qui nondum didicit moribus esse bonis.

S P E C U L U M V I T A H U M A N Æ.

H Ora, Dies, Mensis fugiunt, Anniq; recedunt,
Lustra fluunt, abeunt Secula. Vita perit.
Vita perit: sed ne pereat tibi, quolibet Anno,
Mense, Die atque Horâ fac benè, discere mori.
Discemori in Domino, tremelugicis ora supreni,
Exhorre infernum, gaudia quære poli.
Quid prodest homini totum sibi subdere mundum;
Atque animæ propriæ damna stupenda pati?
Transit honor mundi, maleficia pecunia transit:
Transit amor carnis, transit & omne bonum.
JESUS noster honor, noster thesaurus JESUS:
JESUS noster amor; perpetuumq; bonum.

Vive

Vive Deo, ut possis istam benè vivere vitam.

Vis benè post mortem vivere? vive Deo
Sic tibi jam Hora, Dies, Menses, Anniq; manebunt,
Secula durabunt, Vita perennis erit.

D E L I B E R A L I B U S

A R T I B U S.

I N genuâ nihil est usquam præstantius arte,
Dulcia quæ mœsta præbens solatia meriti,
Pauperiem durosq; fugat secura labores,
Despiciensq; solum, fertur sublimis ad astra.

Grammatica.

A me principia, & magnarum exordia rerum
Summuntur: doctas hinc fit progressus ad
(artes.

Arithmeticha.

Præcipuas partes tribuit, primasq; mathesis,
Jure mihi numeros certa ratione docenti.

Musica.

Jucundo tristes oblecto carmine mentes,
Depelloq; graves curas, relevoq; labores.

Geo-

Geometria.

Terrarum tractus, & latas metior oras,
Ingenio gaudens subtili, & acumine mentis.

Dialectica.

Discerno à falso cauto discrimine verum,
Res dubiæ per me dicta ratione probantur.

Astronomia.

Ardua cœrulei perlustro sydera cœli,
Et scrutor rutili sublimes ætheris orbes.

Rhetorica.

Per me formatur facundæ gratia lingvæ.
Quā Deus, & Regum mentes, hominumq;
(moverur.

C A R M E N C U J U S D A M, in Septem Dies.

1. PRima dies lucem fidei mortalibus affert,
Dum quæ non cernunt edicti pectore credunt.
3. Sicut aquas ab aquis sejungit Conditor orbis,
Sic doctrina monet quò spiritus, & caro distant.
3. Hinc carnis malesuada fugit, ceditq; cupidus:
Jamq; salutiferos profert mens integra fructus.

4. Lu-

4. Lunari veluti lucem Sol mutuat orbi,
Sic Christus nostras illustrat lumine mentes.
5. Mox totum complet fœcunda potentia mundum
Quam pia concepit quæ mens; benefacta sc.
(quuntur.
6. Prodit homo rerum dominus, paciç; creatus,
Quem ratio regit ut vir, quemq; affectus ut uxor
7. Hic cesset securus homo, quæ condidit Au&tor
Servat. & hæc placida prudens ratione gubernat,

Q U A T U O R A N N I T E M P O R A.

Ver.

H umanas recreo mentes, volucresq; ferasq;
Omnia floriferi lætantur tempora Veris.

Æstas.

Per me larga leges densis canescit aristis.
Agricolasq; beo fœcundi frugibus anni.

Autumnus.

En ego maturos Autumnus profero fructus,
Efficioq; mei ne spes fit vana coloni.

Hyems.

Accumulata vides totumquæcunq; per annū
Exornant nostram glaciali tempore menfam

DE

16

DE QUATUOR DIEI TEMPORIBUS.

1. Plena laboriferi curis pars prima diei est,
Et nobis oritur cum sollicitudine Phœbus.
2. Opportuna dies operi, duroq; labori est,
Tunc desudando passim se quisq; fatigat,
3. Tristitiam, & luctus abigit procul Hesperus omnes
Exhilaratq; hominum mentes, curasq; repellit,
4. Nocte vacant curis animi, placidamq; quietem
Percipiunt, gratoq; indulgent lumina iomno.

F I N I S.



32

- 4 Mœrore feso conficit
Mens nostra : corq; præ metu
Tremiscit atque palpitat.

- 5 Memor retroacti temporis,
Reuoluo mente sæpius
Acri, Deus tuæ inclita
Diuina gesta dexteræ.

- 6 Et acta mirâda (haud potest
Quæ nulla lingua promere)
Tua lætus usque prædico.

- 7 Expando dexteram tibi,
Ad teq; anhelat mens mea,
Hiulca tellus ceu sitit. Sela.

- 8 Succurre confestim Deus :
Tenuem attraho vix Spiritum,
Vultum nec auertastuum
Serenum : vt haud cogar lacus
Tristis subire tartari.

- 9 Tuæ fauorem gratiæ
Fac sentiam, cum fulgida
Aurora cuncta splendido
Collustrat alma lumine :

Spes